

### 63. Papa Pio II a Piero de' Medici.<sup>1</sup>

Ancona, 8 agosto 1464.

Pius papa II Petro Medici Cosmi filio. Dilecte fili etc. Intellexi mus nuper Cosmus patrem tuum ex hac vita migrasse. Acerbum sane et luctuosum nuntium.<sup>2</sup> Dileximus quidem illum sincera caritate ut virum quem nobis et apostolicae sedi semper devotum experti sumus et quem singulari prudentia et bonitate peditum esse cognovimus. Mors eius etsi non tibi solum sed multis lugenda videatur, tamen oportet fili te forti animo ferre eum casum qui divina lege mortalibus prescriptus est. Voluntatem hanc divinam constanter feras nec dolori indulgeas. Si mortalitatis cursum recto iudicio existimas, vixit diu Cosmus, satisfecit naturae et viam universae carnis grandevus est ingressus. Vixit in laude et gloria: nec solum in civitate sua, sed in tota Italia et universo fere orbe cum summa existimatione et quod pluris faciendum est<sup>3</sup> vixit pie et religiose dei timoratus. Nec expedit eius viri exitum lugere qui iuste et recte vixit quoniam ex hac turbulentissima vita humana ad quietissimam et tranquillissimam migrasse censendus est. Nos dilecte fili quoniam genitorem tuum paterna et<sup>3</sup> singulari<sup>3</sup> quadam caritate amplectebamus intendimus erga te eundem animum gerere quem erga eum gessimus facturosque nos assidue pollicemur quae honori et commodis tuis et domus et familiae de Medicis conducere arbitramur.<sup>4</sup> Hec te non ignorare voluimus. Datum Anconae sub anulo piscatoris die 8 augusti 1464 pontificatus nostri anno VI. Die postea XIV hora IV noctis ibidem ex febre est mortuus.

Copia in *Plut. LIV-Cod. 10*, f. 123 della Laurenziana a Firenze.

<sup>1</sup> L'ultima lettera del pontefice già malato a morte v. sopra p. 266 e Voigt III, 703.

<sup>2</sup> Nella copia in *Plut. LXXXV Cod. 36* seguono le parole: «nobisque modestissimum».

<sup>3</sup> Manca nel codice citato.

<sup>4</sup> «Arbitramur» ha l'altro codice.